



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 31. Salsi fluminis accolæ Societatis curæ subduntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

ALPHONSUM Barfenam in eâ expeditione diutiùs perseverare volentem, ut quatuor millia Ethnicorum, quorum Casiquios baptizaverat, Christi partibus adderet, & ad fretum usque Magellanicum per ferocissimas gentes, sine armis, sine comitatu, ire paratum revocavit Episcopus Tucumanensis, ne tantis periculis exponeret virum, quo si aliquando careret, Episcopatum se etiam abdicaturum asserbat. Ut rediit, eum quamvis renitentem totius dioceseos inspectorem summâ cum potestate legitimis tabulis creat, rogatque, ut cum sociis è Brasiliâ nuper advectis Sali fluminis accolarum omnium curam in se suscipiat. Barfena, Francisci Anguli jussu, admisâ procuratione, Emmanuelem Ortegam, Joannem Salonium, & Thomam Fildium ad eam regionem multis barbarorum millibus scaten-tem deducit, deductos Tonocotanam linguam docere incipit, per intervalla indigenas omni ope juvat, quorum numerum benè magnum exiguo planè tempore sacro latice perfundit: ducentos circiter & triginta Neophytos pellicatu infames legitimè copulat, multos plane mortales de peccatis numquam confessos expiat; quo in labore morbo contracto, ad urbem referri debuit. Sed per hunc morbum Deus Optimus Maximus Paraquariensibus salutem dare destinabat.

CAPUT
XXXI.
Sali flumi-
nis accole
Societatis
curâ sub-
duntur.

Barfena
multos sacro
Fonte abluir.

Egrotat.

CAPUT
XXXII.
Brasilorum
Sociorum
peccata in
Paraquariâ
labores.

1588.

Benevole ab
urbe exci-
piuntur.

Et ab Domi-
nicani Ep-
iscopi Vicario.

Gratitudo
Societatis
erga Domi-
nicanos.

PATRES Brasili, deficiente Tonocotanae linguæ Magistro, communicato cum Francisco Angulo consilio, in Paraquariam, quod eos Illustrissimus Paraquariensis Episcopus, ob linguæ Guaranicæ peritiâ, & Sacerdotum inopiam, invitaverat, perrexere. Trecentis leucis distat Assumptionis urbs unde discesserant, quo itinere partim terrâ, partim adverso flumine Argenteo Paraquarioque, confecto, collecta ubique copiosa animarum messe, ab Assumptionis civibus tres omnino leucas obviam effusis, tantâ omnium ordinum aggratulatione, excepti sunt, satis ut appareret quàm sincerè animarum suarum culturam exposcerent. In eâ urbe, Dominicani Episcopi absentis vices gerebat ex eodem ordine vir planè pius, qui suo ingenio, & sui Præfatis hortamentis, Socios palam laudatos induxit in ædes à civibus paratas, ultrò concessa potestate pleraque Sacramenta in urbe & extra urbem administrandi. Sic præclarissimo Divi Dominici Ordini debemus, quod in Tucumaniam; Paraquariamque inducti simus. Eo tempore pleræque Paraquariæ civitates & Indorum oppida Sacerdote carebant: quare Neophyti passim omnium rudes mixti Ethnicis, nullo consuetudinum discrimine, sine sacrorum usu disciplinâque, vana tantùm Christianorum nomina præferebant: multi mortales ex Barbaris mulieribus orti barbaros mores cum lacte ebiberant, plerique verò Europæi, deficientibus Sacramentis, sortem suam lamentabantur, dolebantque Paraquariensis Reipublicæ corpus, ex nobilissimis partibus compositum, multis corruptelis obficorum Medicorum raritatem infici. Quò se verterent Socii, quam partem curandam priùs assumerent, non satis apud se constituebant. Consulto tamen Deo, visum est, Provinciæ caput noxiis humoribus antè purgandum, ut sanitas in subiecta membra efficacius influeret. Postquam ergo deferbuit gratulorum fervor, in ipsâ urbe Assumptionis instrumenta medendi omnia, Conciones, Catecheses, privata publicaque colloquia, exhomologeses, & id genus varia in omnes ordines exprompta sunt. Tenera Hispanorum puerorum indoles pro captu curabatur, gravia concionum remedia maturæ ætati adhibebantur. Fœminarum mollietis ferventi alloquiorum cauterio adurebatur: Indigenæ in urbe servitiis addicti præcipuo studio erudiebantur. Denique primo trimestri, eo successu peracta res est, ut seipsam in se urbs immutata vix agnosceret. Curatâ utcumque civitate, ad suburbanos pagos & villas excurrentes, grandem animarum segetem, adhibitâ Baptismi, Matrimonii, Catecheseos & Exhomologeseos falce, per vices collectum ivere: donec caritatis ignis, inter exigua spatia non se continens, sensim serpendo longinqua corripet.

Mores mu-
tati.

CAPUT
XXXIII.
Emmanuel
Ortega &
Thomas Fildius
Guaitaniam
Apostolicè lu-
strant.

IOANNE Salonio reliquis Præfecto in urbe remanente, Ortega & Fildius, adverso primùm Paraquario, deinde per immensa nemora & paludes pedibus incedentes (ut in eis agnosceres Josephi Anchietae discipulos) in Guairaniam Brasiliæ obversam regionem, centum & quinquaginta leucarum itinere profecti, pagos

omnes,